



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

Epistola XII. Zosimi Papae Ad Massilienses. Patroclo esse commissum, vt
Proculi loco alium episcopum accipient.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

EPISTOLA XII.
ZOSIMI PAPÆ
AD MASSILIENSES.

Patroclo esse commissum, vt Proculi loco alium
episcopum accipient.

Zosimus clero, ordini, & plebi consienti Massiliæ.

NON miror Proculum in consueta adhuc fronte dura-
re, & oblitum penitus pudoris quotidie digna dam-
natione committere, nec aliquando desistere, vt toties
commonitus prohibitusque non cesseret. Ecce cœtum ve-
stræ dilectionis sua, qua sola notus est, turbatione con-
fundit: nec ecclesiam patitur esse concordem, cum suis
id agat semper officiis, quatenus aggerens postrema prioribus,
malum aliquod quod ante commiserat in peius e-
mendet. Cum ipse iam non sit episcopus, episcopos facit,
& humanus largitor aliis se dicit posse præstare, quod da-
tum sibi aliquando immerito, tenere non potuit. Addens
sibi iungitque inquietæ mentis homines, & qui soli pos-
sunt fauere damnato, per quos quæcumque turbarum
studiosus cogitat, hac sua fidens societate conficiat. Sed
habeo, fratres carissimi, vestri curā, moleste ferens, quid-
quid ille quotidianis ausibus facit, id vos Christianum
populum, & qui in nostra caritate perfistat, posse per-
ferre, nec eius obuiare factis, aut repugnare conatibus.
Idcirco curam vestri licet & prioribus commiserim liter-
ris vestræ metropolitano prouinciae, fratri & coepiscopo
nostro Patroclo, tamen iterum committo, vt ipsius tuni
confilio, & pro disciplinarum ratione formati, eius ob-
temperantes nutibus dignum possitis accipere sacerdo-
tem. Data III. Nonas Martias, Honorio XII. & Theo-
dosio V III. Augustis consulibus.

EPI-